

corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur ejus potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam animæ Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasc. ¹ est intelligendum, quantum ad voluntatem Christi divinam, quia, sicut ipse in præced. cap. ² dicit, beneplacito divinæ voluntatis permissibatur carni pati, et operari quæ propria.

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originalem justitiam quam Adam habuit in statu innocentie, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quamcumque formam, sed quod posset ipsum conservare absque omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet, innocentie, culpæ, et gloriæ, sicut de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, et de statu innocentie immunitatem a peccato, ita et de statu culpæ assumpsit necessitatem subiacendi penalitatibus hujus vitæ, ut infra ³ dicitur.

Ad tertium dicendum, quod imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua; puta, quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis, ut dicitur 3 de Anima ⁴. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem, et frigus, et alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passiones, secundum quas movetur cor, et sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. Aliæ vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis, puta, figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.

COMMENTARIUS.

Doctrina hujus articuli eadem est cum doctrina articuli præcedentis; solum, quod ibi generatim dictum est, hic ad ipsum corpus

¹ Citatum in arg.

² Lib. 3, c. 15 a med., et cap. 14.

³ Quæst. 14, a. 2.

⁴ Text. 48 et seq., tom. 2.

Christi applicatur. Et hoc sensu docet D. Thomas animam Christi propria naturali virtute non habuisse omnipotentiam circa corpus proprium; tamen, ut instrumentum Verbi, habuisse in sua potestate omnium dispositionem, et proprii corporis immutationem.

ARTICULUS IV.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. Dicitur enim, Marci 7, quod ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis.

2. Præterea, præceptum est signum voluntatis, ut in prima parte dictum est ¹. Sed Dominus quædam facienda præcepit, quorum contraria acciderunt; dicitur enim, Matt. 9, quod cæcis illuminatis comminatus est Jesus, dicens: Videte ne quis sciat; illi autem exeuntes, diffamaverunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propositum suæ voluntatis.

3. Præterea, id quod potest aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petiit a Patre, orando illud quod fieri volebat; dicitur enim Luc. 9, quod exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suæ voluntatis.

Sed contra est quod dicit Augustinus, in lib. de Quæstionibus Veteris et Novi Testamenti ²: Impossibile est ut Salvatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri non debere.

Respondeo dicendum, quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Uno modo, quasi per se implendum. Et sic dicendum est quod quicquid voluit, potuit; non enim conveniret sapientiæ ejus ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subjaceret. Alio modo voluit aliquid ut implendum virtute divina, sicut resurrectionem proprii corporis, et alia hujusmodi miraculosa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum divinitatis, ut dictum est ³.

¹ 1 p., q. 19, art. 12.

² Qui incipit: Deus quidem perfectus est, q. 77, in princ., tom. 4.

³ Art. 2 hujus quæst.

DISPUTATIO XXXI,

In octo sectiones distributa.

DE GRATIA, SEU POTESTATE ANIMÆ CHRISTI DATA AD MIRACULA VEL SUPERNATURALIA OPERA FACIENDA.

In hac disputatione nihil de facultatibus naturalibus animæ Christi dicendum est, est enim res et per se clara, et satis in superioribus tractata; agendum ergo est solum de supernaturali potestate ad supernaturales actiones; et quia de actibus vitalibus supernaturalibus, et de illuminatione quæ per illos fieri potest, in superioribus etiam satis dictum est, nihil de eis hoc loco dicemus; sed solum de aliis miraculosis actionibus, et de virtute ad illas efficiendas, ad quam pertinent illæ duæ gratiæ gratis datæ, quarum disputationem supra huc remisimus, scilicet, gratia sanitatum, et operatio virtutum. Quoniam vero actiones supernaturales et miraculosæ complures sunt, quarum præcipua esse videntur animarum justificatio, seu gratiæ productio, non oportebit de singulis earum dicere, sed in communi res disputanda est; et si quid in particulari dicere oportebit, id frequentius explicabimus in gratiæ productione, nisi alicubi alia occurrerit specialis difficultas.

SECTIO I.

Utrum omnipotentia Dei tota sit humanitati assumptæ communicata.

1. Hoc loco referri posset error hæreticorum hujus temporis, qui dicunt, per unionem hypostaticam factum esse ut attributa divinæ naturæ vere ac secundum se humanæ fuerint communicata, ita ut non solum per communicationem idiomatum Christus sit omnipotens, sed etiam ipsa humanitas, et cum reduplicatione Christus in quantum homo. Sed hic error re ipsa coincidit cum errore Eutychetis, et simul cum illo satis explosus est, et iterum impugnabitur inferius, cum generatim de communicatione idiomatum agemus.

2. Dico ergo primo, omnipotentiam Dei simpliciter, et secundum totam perfectionem suam, nec fuisse communicatam, nec potuisse communicari Christi humanitati, atque adeo Christum ut hominem non fuisse omnipotentem. Ita, præter D. Thomam hic, docent Theologi cum Magistro, in 3, d. 14; Bo-

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in lib. de Quæst. Veteris et Novi Testam. ¹: Quod factum est, hoc voluisse dicendum est Christus. Advertendum est enim, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat; ultro tamen venientes ad fidem non suscipere, invidiæ erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit, et ita factum est. Vel potest dici quod hæc voluntas Christi non fuit de eo quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanæ voluntati ipsius. Unde in Epist. Agathonis Papæ, quæ est recepta in 6 Syn. ², legitur: Ergone ille omnium Conditor ac Redemptor, in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur?

Ad secundum dicendum, quod, sicut Gregorius dicit, 19 Moralium ³, per hoc quod Dominus præcepit, taceri virtutes suas, servis suis sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderarent, et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Sic ergo præceptum illud designabat voluntatem ipsius, qui humanam gloriam refugiebat, secundum illud Joan. 8: Ego gloriam meam non quero; volebat tamen absolute, præsertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat et pro his quæ virtute divina fienda erant, et pro his etiam quæ humana voluntate erat factururus, quia virtus et operatio animæ Christi dependebant a Deo, qui operatur in nobis velle et perficere, ut dicitur Philip. 2.

COMMENTARIUS.

Doctrina hujus articuli difficilis est, pendet tamen ex iis quæ, 18 q., de voluntate Christi ac ejus actibus dicenda sunt.

¹ Lib. et c. citatis in argum. Sed contr.

² Recepta est in 8 act., 6 Synod. gener., Constant III, et lecta fuit in act. 4.

³ Cap. 18, post medium.

nav., a. 3; Richar., a. 2; Durand., q. 5; Palud., q. 3; Gabr., q. 1, a. 3, dub. 1; Alens., 3 p., q. 14. Et est res omnino certa, evidenter enim sequitur ex certis principiis fidei; definiunt enim Concilia (ut supra vidimus), naturas post unionem mansisse inconfusas, suasque proprietates, facultates et operationes duplices retinuisse, ut constat ex Concil. Chalced., act. 5, VI Synod., act. 4, 11 et 17; et Concil. Later., sub Martino, consultat. ult., can. 9, 10, 11, et ex Leone Papa, epist. 20, et aliis quæ supra allegata sunt. Ex quo constat, aliam esse potentiam humanitatis a potentia divinitatis, nam potentia activa est proprietas naturæ; sicut ergo mansit duplex natura, ita duplex potentia; ergo potentia humanitatis non est ipsamet potentia divinitatis, et consequenter nec potest esse omnipotentia simpliciter, quia hæc tantum est una, et multiplicari non potest. Quod secundo ita explicatur, nam potentia humanitatis est distincta ab ipsa divinitate; ergo est potentia creata; ergo finita; ergo non est omnipotentia. Unde argumentor tertio, quia vel intelligitur omnipotentia communicata humanitati formaliter et per se ipsam, vel per donum creatum. Primum intelligi non potest, nisi vel per confusionem naturarum, vel quia ipsamet omnipotentia increata unita est humanitati tanquam forma illam informans et constituens omnipotentem, quod repugnat, et ipsi divinæ naturæ, ut supra ostensum est, et unioni, quia talis esset unio in natura, quandoquidem omnipotentia, quæ est ipsamet natura Dei, informaret humanam naturam, et communicaret illi suum esse. Si vero dicatur secundum, constat tale donum creatum, quodcumque illud sit, non posse esse omnipotentiam simpliciter; nam et perfectione et entitate esset inferius omnipotentia Dei; ergo et in virtute, et efficacia, quæ in perfectione fundatur. Quarto tandem hoc demonstratur, quia ad omnipotentiam duo necessaria sunt. Primum, ut in objecto omnia factibilia comprehendat. Secundo, ut in modo agendi sit virtus principalis eminenter continens omnia, et independens a concursu superioris agentis; neutrum autem horum communicatum est, aut communicari potuit Christi humanitati, quia nec potest esse principium producendi omnia, saltem seipsam, neque etiam potest esse causa creationis, saltem principalis, quia ad hoc requiritur virtus infinita. Unde nec producere potest res perfectiores se, per modum principalis agentis. Denique

neque in actione sua est independens, indiget enim divino concursu. Quæ ratio probat, circa nullum effectum habere potuisse Christi humanitatem omnipotentiam simpliciter.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Neque contra hanc veritatem aliquid objici potest, quod difficultatem habeat. Solum videtur Patres interdum ita loqui, scilicet, omnipotentiam Dei esse communicatam Christo homini, vel ejus humanitati, ut constat ex Damasc., l. 3, c. 18; et ex Nicet., l. 3 Theol., c. 38. Respondetur, hæc et similia testimonia altero ex duobus modis debere exponi, prout intentio et contextus litteræ postulaverit. Primus est, quem attingit D. Thomas hic, art. 1, ad 1, per hanc unionem ita esse conjunctam humanitatem Verbo Dei, ut ratione illius possit hic homo dici omnipotens per communicationem idiomatum. Secundus est, per hanc unionem communicatam esse Christi humanitati specialem vim operandi supra naturam ea opera, quæ Dei sunt propria, saltem ut divinitatis organo et instrumento, de qua re videri potest Leo Pap., Ep. 81, alias 83, ad Episcopos Palæstinos; Aug., lib. contra Felicianum Arianum, c. 11; et Cyril. Alex., l. 10 Theol., cap. 9, et lib. 12, cap. 15, et l. 4 in Joan.; c. 24, et l. de Incarn. Unigen., c. 12; Theodoretus, dialog. 2.

4. Dico secundo: humanitas Christi, ex vi solius unionis ad Verbum formaliter ac præcise sumptæ, non est facta potentior ad operandum quam ex natura sua esset. Conclusio hæc intelligitur primum de potestate ad reales et physicos effectus efficiendos; non enim agimus de effectibus moralibus meriti et satisfactionis; nam ad hos multum confert ipsa unio, per se ac præcise considerata, ut supra, disp. 4, late dictum est. Deinde intelligitur ut in ipsa conclusione dicitur, de unione præcise, nam, licet ipsa unio sit ratio ob quam humanitati supernaturalis virtus, seu potestas donatur, non est tamen ipsa qua humanitas potentior efficitur, ut recte Durandus docet, supra dicta dist. 14, quæst. 5, et colligitur satis aperte ex D. Thoma, tota hac quæst., præsertim art. 1 et 3. Et probari sufficienter potest ex dictis supra, disp. 18, sect. 4, ubi ostendimus, in actibus gratiæ unionem non esse principium formale, quod humanitatem reddat potentem ad ipsos efficiendos; est autem eadem ratio de quocumque supernaturali effectu, quia in omni actione principium agendi est natura, subsistentia vero tantum est quasi conditio requisita; humanitas autem

unita retinuit eandem omnino naturam et eandem formam; ergo de se retinuit etiam eandem virtutem, et potentiam agendi. Et confirmatur, quia Verbum unitum, ut sic, non habet ratione unionis specialem influxum physicum in actiones humanitatis, quia hujusmodi influxus ad extra, communis est tribus personis.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra: nam perfectior existentia conducit ad perfectiorem operationem; sed humanitas Christi, ratione unionis, habet perfectiorem existentiam; ergo per unionem formaliter potentior facta est. Propter hoc argumentum Richard., dist. 14, a. 2, q. 2, contra hanc conclusionem opinari videtur. Sed procedit ex falso fundamento, humanitas enim ex vi unionis non habet perfectiorem existentiam, sed subsistentiam, quæ non confert per seipsam ac formaliter ad perfectiorem effectum physicum, ut dictum est. Deinde, si essentia creata esset distincta entitas ab existentia, ut Richard. videtur supponere, sic negandum esset existentiam per se conferre ad actionem ut principium formale operandi, sed solum esse conditionem requisitam; et ideo, quamvis juxta illam sententiam humanitas Christi existeret existentia increata, non propterea dicendum esset per ipsam unionem formaliter factam esse potentior ad agendum.

SECTIO II.

An ratione unionis data sit animæ Christi supernaturalis gratia, seu virtus ad faciendam supernaturalia opera seu miracula.

1. *Dubium.* — *Responsio.* — In hac re fere nulla est controversia inter Theologos, et ideo breviter dico primo, Christum Dominum per humanitatem suam vera miracula fuisse operatum, unde necessario fit illi humanitati communicatam esse virtutem supernaturalem ad miracula faciendam. Conclusio est de fide, ut ex universa evangelica historia constat, et specialiter Matth. 9, inquit Christus: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, dicit paralytico: Surge, etc.*, ubi ex uno effectu supernaturali potestatem ad alium efficiendum confirmat, non quia effectus ille major esset, sed quia evidentior, et ideo, ut Evangelista concludit, *homines glorificabant Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Plura testimonia afferemus in sequentibus. Ratio vera prima et præcipua est divina voluntas, a qua omnis hæc

gratia dimanat. Congruentia vero est: prima, dignitas ipsius personæ; secunda, officium doctoris; nam cum Christus doceret novam et supernaturalem legem, oportuit ut doctrinam suam divinis signis confirmaret, et præsertim, cum se Deum et Filium Dei esse diceret, debuit hoc operibus ostendere. Unde Joan. 5, inquit Christus: *Opera, quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me;* et c. 10: *Si mihi non vultis credere, operibus credite;* et c. 15: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* et ideo unum ex signis quod dederat Deus ad cognoscendum Messiam, fuit, quod mira opera esset facturus, ut constat Is. 35, et Matt. 11: *Ite, et renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis, cæci vident, claudi ambulant, etc.* Sed quæret aliquis an hæc conclusio non solum certa sit, sed etiam evidens, suppositis iis quæ de Christo narrantur. Et est ratio dubii, quia ipsi Judæi, qui ipsius Christi opera videbant, calumniabantur, non fuisse vera miracula, sed apparentia signa virtute dæmonum facta. Nec defuerunt alii, qui dicerent illa opera fieri potuisse, vel ex virtute, et efficacia optimi temperamenti corporis Christi Domini, vel virtutis imaginativæ animæ ejus, ut Richard. hic refert, d. 15, a. 2, q. 3; et latius Castro, contra hæres., verb. *Miracula;* et Michael Medina, l. 2 de Recta in Deum fide, c. 7, ubi latissime hunc errorem impugnat, quod superfluum duco, quia per se est incredibilis, et prorsus absurdus. Respondetur ergo, sermonem esse posse aut de iis qui opera Christi intuebantur, hominibus, aut Angelis, aut de iis qui solum audiverunt ea esse facta; Angeli ergo evidentissime cognoverunt illa esse vera miracula, divina virtute facta; et de bonis quidem Angelis res est clara; de dæmonibus autem declaratur, quia evidenter experiebantur vim et efficaciam humanitatis Christi in ipsos. Deinde intuebantur animam, verbi gratia, Lazari, vere fuisse a corpore separatam, atque iterum eidem corpori conjunctam per veram informationem; similiter visum fuisse restitutum ei qui illo caruerat; cum enim hi effectus, licet supernaturali modo fierent, in se tamen seu in termino sint naturales, evidenter videntur ab Angelis prout in se sunt, cognitione naturali. Est autem eisdem Angelis evidens hujusmodi effectus illo modo non posse fieri naturali virtute, et ideo etiam mali Angeli tergiversari non poterant. Homines vero non potuerunt habere tam claram eviden-

tiam, quia non possunt tam intime effectus in seipsis intueri, sed solum quantum per externa signa apparent. Nihilominus habere poterunt tantam evidentiam, saltem moralem, ut, sine magna temeritate et insigni malitia repugnare non possent, ut ipse Dominus, Joan. 13 et 14, testatus est. Et breviter declaratur, nam de ratione miraculi duo sunt. Primum, ut sit insolitum opus et extraordinarium, vel in effectu, vel in modo. Secundum, ut opus sit tale, quod per naturales causas fieri non possit; huiusmodi autem fuisse opera quæ Christus faciebat, per se notum est, tum ex ipsis effectibus, quales sunt suscitatio mortuorum, restitutio visus, etc.; tum ex modo, quia subito, sine ulla resistantia, solo imperio hæc faciebat, et morbos etiam incurabiles ad quamcunque distantiam, sine impedimento interjecti corporis, et non ad modum agentium naturalium, sed imperio suo sanabat.

2. Quod autem illa opera revera talia essent qualia apparebant, evidens etiam esse potuit humana quadam et naturali evidentia. Primo, ex multitudine talium operum, quorum effectus erant diuturni et perseverantes, et in nullo eorum inventa est fallacia vel deceptio, cuius evidens signum est, quod, cum sæpius, et multo tempore, et inter hostes suos, qui maximo odio illum prosequerentur, hæc fuerit Christus operatus, nunquam tamen illi obicerunt deceptionem aut falsitatem in huiusmodi operibus, neque etiam unquam ausi sunt negare vel Lazarum vere fuisse suscitatum, vel cæco a nativitate visum vere restitutum, quamquam interdum ignoranter et impudenter calumniarentur hæc fieri ex pacto cum dæmonibus, quasi vero ipsi dæmones talium operum auctores esse possent. Secundo, id constare poterat vere evidenti experientia. Quis enim dubitare posset eum, qui triginta et octo annis in lecto jacebat, vere fuisse infirmum? aut eum, qui subito visus est lectum suum portare, vere fuisse sanatum? Similiter erat evidens hominem cæcum a nativitate vere caruisse visu; et similiter manifeste constare poterat ipsum postea vere vidisse. Tertio, hanc veritatem maxime comprobabat ipsius Christi vita innocentissima, et rerum temporalium contemptus. Quarto, id conjici poterat ex fine et effectu talium operum; ideo enim illa faciebat, ut homines ad veri Dei cognitionem et amorem, et ad virtutem et honestatem prosequendam traheret; quo argumento usus est ipse Matth. 12, ut ostenderet se non operari ex pacto dæmonum, quia om-

ne regnum, inquit, in se divisum desolabitur, etc. His ergo modis potuit esse evidens iis, qui Christi opera viderunt, et experti sunt, illum ex supernaturali et divina virtute fuisse operatum. At vero iis, qui ea non viderunt, sed audierunt, non potest hoc esse tam evidens (ut per se constat); tamen est tam certum, quantum esse potest res aliqua, quæ non solum fide divina constat, sed etiam fide humana tantæ certitudinis, ut ab homine cordato in dubium revocari non possit; in qua non immerito dici potest inesse quoddam genus humanæ evidentiae, ut, verbi gratia, quod a Tito et Vespasiano Hierosolyma vastata fuerit, et similia; tam certum enim et evidens humano modo est et Christum hominem fuisse in mundo, et ea, quæ de illo narrantur, operatum esse; omnibus ergo constat illum habuisse hoc miraculorum donum. De qua re plura dicentur in materia de Fide.

3. Dico secundo: hæc virtus miraculorum fuit in Christo homine permanentem per modum habitus, in quo alios Prophetas seu homines sanetos superavit; alii enim non habent hanc potestatem quasi habitualem, ut illa, cum voluerint, uti possint; sed solum per modum ejusdem actionis transeuntis interdum illam recipiunt, ut Gregorius tractat, lib. 2 Dialog., c. 31; et latius D. Thom., 2. 2, quæst. centesima septuagesima octava, a. 4; at vero Christus dicitur habere hanc potestatem permanentem, et per modum habitus, quia, sicut habitibus utimur cum volumus, ita ipse arbitrio suo, et ad nutum suæ voluntatis, poterat miracula facere, juxta illud Matth. 8: *Domine, si vis, potes me mundare*; nam, licet illud fuerit a leproso dictum, quod autem ex vera fide fuerit profectum, ipse Dominus ostendit, dicens: *Volo, mundare*. Unde Joan. 11, cum ad suscitandum Lazarum Christus orationem præmisisset, propter eos, qui aderant, dixit se id fecisse, non quod ipse indigeret. Ratio vero est, quia hæc virtus data est humanitati quasi proprietas consequens unionem; sed ipsa unio est permanens et perpetua; ergo. Major constat ex dictis sectione præcedenti, et ex Concil. Ephes. dicente, *carnem Christi esse vivificatricem propter unionem ad Verbum*; in quibus verbis satis significatur et unionem ad Verbum esse radicem huius potestatis, et utrumque esse æque permanens in Christi humanitate. Secundo, quia voluntas Christi hominis, etiam si humana sit, est tamen voluntas divinæ personæ; ergo oportuit ut semper esset efficax, quantum ab-

solute vellet; atque adeo ut haberet potestatem operandi miracula suæ voluntati subiectam. Tertio probari potest, quia supra ostendimus alias gratias gratis datas animæ Christi permanentem et per modum habitus fuisse concessas.

4. *Objectio.*—*Responsio.*—Sed contra, nam D. Thomas, citato loco 2. 2, indicat fieri non posse ut gratia miraculorum communicetur creaturæ per modum habitus. Respondetur D. Thomam solum significare non posse hanc gratiam esse qualitatem aliquam permanentem, et habitum intrinsece inhærentem, qui sit principium omnium harum operationum, quod verum est, ut ego existimo, et infra latius dicam. Neque in hoc sensu assero hanc gratiam esse permanentem et per modum habitus in Christi humanitate, sed solum quia semper ac perpetuo habuit paratum Dei concursus, vel motionem necessariam ad miracula efficienda, quotiescunque vellet, sicut nunc vere dicitur sacerdos habere potestatem consecrandi permanentem, et per modum habitus, quamvis necesse non sit eam facultatem esse habitum aliquem inhærentem, qui sit proprium principium illius actionis. Et hanc conclusionem bene docuit Vega, 1. 7 in Trident., c. 14, dub. 2.

5. *Dubium primum.*—*Responsio.*—Sed quæres primo quando fuerit hæc virtus data humanitati Christi. Respondetur breviter ipsam facultatem quasi in actu primo datam esse ab instanti incarnationis, quia (ut dixi) est quasi proprietas consequens unionem, et nullum fuit impedimentum quominus a principio dari posset; et ita docuit Anselmus, lib. 2 Cur Deus homo, cap. 13, in fine; at vero quoad usum, non constat quando hac potestate uti inceperit; quamquam enim, Joan. 2, dicatur miraculum illud convertendi aquam in vinum fuisse initium signorum Jesu, tamen non inde certo constat illud fuisse omnino primum opus miraculosum, quod Christus in hac vita operatus est, sed solum fuisse primum publicum miraculum quo coepit gloriam suam manifestare, et doctrinam suam confirmare, ut recte D. Thomas infra, q. 43, art. 3. An vero ante illud tempus aliqua miracula privatim fecerit, non constat; quidquid enim de hac re scriptum est de infantia Salvatoris, apocryphum est, ut Gelasius Papa docet, in c. Sancta Romana, 15 dist.; et Chrysost., hom. 16 in Joan.; et Euthym. ac Theophylact., super Joannem absolute rejiciunt ut falsam, sententiam asserentem Christum in infantia mirabi-

lia opera patrasset; quamquam Chrysostomus omnia mirabilia signa quæ facta sunt in Christi nativitate, ut de stella quæ Magis apparuit, et similia, huic potestati et virtuti attribuat. Sed fortasse hoc intelligit de Christo ut Deo, potius quam ut homine. Contra hoc vero referri posset hoc loco eorum sententia, qui asserunt Christi animæ fuisse communicatam vim effectricem gratiæ ante creationem suam, et unionem ad Verbum, quæ vis pertinet ad hanc potentiam operatricem supernaturalium operum, ut supra dictum est; hæc vero sententia infra commodiori loco impugnabitur, est enim (ut opinor) improbabilis.

6. *Dubium secundum.*—*Responsio.*—Quæres secundo quandiu duraverit hæc gratia, seu potestas in Christi humanitate. Respondetur, ex quo illam accepit, nunquam esse illa privatam, tum quia dona Dei sunt sine penitentia; tum etiam quia (ut dictum est) illa est proprietas consequens unionem, quæ semper perseverat; tum etiam quia pertinet ad perfectionem illius humanitatis, et non includit imperfectionem statui beatitudinis repugnantem.

7. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices: postquam Christus ad cælum ascendit, non potest habere usum hujus potestatis. Respondetur falsum hoc esse. Primo, quia, si aliquod lumen supernaturale, vel simile donum pertinens ad accidentariam beatitudinem communicatur beatis, credibile est per Christi humanitatem fieri. Imo probabile est omne lumen gloriæ, quod factum est, et fit in animabus beatis, per Christi humanitatem fieri, ut D. Thomas sentit infra, quæst. 52, art. 2, ubi de animabus sanctorum Patrum in limbo existentibus loquitur; est autem eadem ratio de omnibus aliis quæ postea beatæ sunt; et est hoc valde consentaneum dignitati Christi. Secundo, verisimile etiam est, ipsam mortuorum resurrectionem, præsertim beatorum, efficiendam esse per Christi humanitatem, tanquam per instrumentum; nam totum hoc debetur ejus dignitati et meritis. Et ad hoc non incommode applicari potest illud Joan. 5: *Sicut Pater suscitavit mortuos, et vivificavit, sic et Filius, quos vult, vivificat*; quamvis enim hoc præcipue intelligatur de Christo ut Deo, qui æqualem cum Patre habet potestatem, tamen satis accommodate exponi potest de potestate communicata Filio, etiam ut homini, ut per carnem suam suscitare possit mortuos, sicut statim dicitur, *Patrem omne judicium dedisse Filio*, quod recte de Christo homine intelli-

tur, ut infra suo loco dicetur; et ita hoc, quod intendimus, docuit Augustinus, tract. 19 et 20, et sequentibus; et divus Thomas infra, quæst. 56. Tertio, omnes gratiæ, vel supernaturalia dona quæ in Ecclesia conferuntur, per Christi humanitatem conferri, satis pie et probabiliter credi potest; nam ille est, qui principaliter baptizat, qui consecrat, qui sanctificat; hi autem effectus ad usum hujus potestatis pertinent. Nam, licet istæ actiones jam non dicantur proprie miraculosæ, quia non sunt insolitæ, et fiunt secundum ordinariam legem gratiæ, simpliciter tamen supernaturalium sunt, et ad potestatem supernaturalem efficientem pertinent. Denique, sicut Christus nunc retinet et perfectissime exercet dignitatem capitis, ita et perfecto modo influit gratiam per usum hujus potestatis. Scio Andream de Vega, lib. 6 in Trid., c. 14, in fine, probabiliter existimare Christum in cælo nunc existentem non influere immediate in gratiam quæ nobis confertur. Sed si intelligat, non immediate, id est, non sine alio instrumento propinquo, est id verum in justificatione, quæ fit per sacramentum, non vero in aliis. Si vero intelligat (quod magis significat) humanitatem Christi per se non influere, non est improbable quod ait; verius tamen credimus esse oppositum, quia nulla est causa sufficiens ad negandam Christo hanc dignitatem. Quod vero quosdam asserere audio, Christum per Angelos hunc effectum conferre, intellectum de propria efficientia instrumentali, improbable est, quia nullo fundamento, sed mere gratis asseritur; intellectum autem de causa ministeriali et morali non est ad rem, ut per sese satis constat.

8. Tertio, quæri posset quod sit adæquatam objectum hujus potestatis, quod est quærere ad quos effectus se extendat. Sed hoc explicabitur commodius post sectionem 5, quia pendet ex modo quo hæc potestas operatur.

SECTIO III.

An hæc potestas sit vere, et physice effectiva gratiæ, et supernaturalium operum.

1. Suppono per potentiam physice activam nos intelligere illam, quæ per realem et veram actionem operatur, et a qua effectus re ipsa pendet in suo esse. Multi ergo auctores negant humanitatem Christi potuisse hoc modo elevari, ut esset principium efficiens opera supernaturalia, et præsertim gratiam, de qua frequentius auctores loquuntur, quanquam

eorum fundamentum generale sit. Ita tenet Alexand. Alens., 3 p., q. 3, memb. 3, a. 3; Altisiod., 3 p. Summ., tract. 1, c. 4, q. 2; Bonav. et Richar., in 3, d. 13, a. 2, q. 3; et ibi Gabr., dub. 3; Durand., dist. 14, q. 4, et in 4, d. 1, q. 4; et ibi Scot., q. 1, circa finem, agens de instrumento creationis, et q. 4, et 3, agens de vi effectrice sacramentorum; et ibidem Bonav., et Ric., et multi Nominales, de eadem re disputantes. Fundamentum eorum est, quia humanitas Christi, ut vere ac physice efficiat, oportet ut in se suspiciat aliquam virtutem agendi; hæc vero nulla esse potest, quia nec potest esse qualitas aliqua, neque motus, neque aliquid hujusmodi; ergo. Major constat, quia actus secundus essentialiter supponit primum; non ergo potest aliquid agere sine virtute agendi. Secundo, nam eadem res in se immutata manens non potest aliquid efficere, ad quod efficiendum de se virtutem non habeat; sed humanitas de se non habet virtutem ad hæc opera; ergo oportet ut illam recipiat per aliquam sui mutationem, et aliquis rei receptionem; intelligi enim non potest fieri potentioem, manentem sicut antea. Tertio, quia intelligi non potest ut duæ res, quæ ex natura sua non habent connexionem nec dependentiam causæ et effectus, incipiant illam habere, eodem modo utraque permanente, absque additione ulla quæ conferat virtutem agendi, et sit principium et ratio hujus dependentiæ. Unde infert hæc sententia hanc potestatem efficiendi miracula solum in hoc esse positam, quod infallibiliter ad tactum, aut verbum, seu voluntatem humanitatis Christi statim adest divina virtus ad opus conficiendum, quod Christus, ut homo, fieri vult; et quia hoc pactum est firmum, et infallibile, ac perpetuum, ideo morali quadam ratione dicitur Christus ad perpetranda miracula habere permanentem potestatem. Nec a sensu Sanctorum Patrum hæc expositio videtur aliena: Damasc. enim, lib. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, circa finem, cum dixisset vim divinam per tactum corporis sanasse infirmos, et divinam voluntatem per humanam effecisse miracula, explanans hunc effectio- nis modum, dicit singulas naturas, divinam et humanam, effecisse sibi propria cum consortio alterius, duabus tamen actionibus intervenientibus. Sicut quando serra ignita, scindendo urit, altera est actio secundi, altera urendi, a diversis principiis procedentes: Sic, inquit, quando divinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio divi-

nitatis, altera humanitatis, et finis humanæ actionis in manus extensione et tactu positus erat, divini autem naturæ in excitatione puellæ, etc. Nec dissimilia sunt verba Athanasii, serm. 4 contra Arianos: *Humano, inquit, more manum extendit, divinitas autem mortuum compescuit*. Et Sophronius, in epist. synodica, quæ habetur in VI Synodo, act. 11: *Unus, inquit, duarum naturarum, secundum aliam divina signa operabatur, secundum aliam humilia recipiebat*. Et fere eodem modo Leo Papa, epist. 10, cap. 4: *Agit, inquit, utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo, scilicet, operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est, unum horum coruscet miraculis, aliud succumbit injuriis*. Denique Augustinus, 22 de Civit., cap. 9, quanquam dubius in hac re sit, satis tamen indicat hunc modum efficiendi sufficere ad intelligenda ea quæ de miraculis Christi Scriptura docet. Quod tandem ita confirmo, nam in multis operibus necesse est fateri, non intervenisse actionem physicam; ergo pari ratione in nullo opere miraculoso oportet illam concedere, quia omnia eodem modo Christo tribuuntur, et ita eodem sensu vera esse debent. Antecedens probatur; nam, quando eiciebat dæmones, nihil physice in illis effecit, neque in anima Lazari, quando illam a sinu Abrahamæ ad sepulcrum revocavit; et similiter cum solidavit aquas ambulans in eis, ut Dionysius loquitur, 2 cap. de Divin. nominibus, nihil physicum in illis impressit, sed vel sustinuit corpus ne illas divideret, vel certe illas diffluere non permisit, et sic de aliis; ergo.

2. Nihilominus dicendum est Christum hominem per actiones suæ humanitatis, non solum morali modo, sed etiam reali et physico, operatum esse opera miraculosa, et justificasse animas, conferendo gratiam, et similia. Hæc est aperta sententia D. Thomæ hic, a. 1 et 2; ita enim concedit Christi animam potuisse efficere miracula, sicut negat potuisse assumi ad creandum vel annihilandum. Constat autem, si sermo esset solum de concursu morali, vel de conditione sine qua non, seu ad ejus præsentiam operatur Deus ex pacto certo et infallibili, potuisse animam Christi concurrere ad annihilationem et creationem; loquitur ergo D. Thomas de vera et physica effectioe. Idem sentit infra, q. 48, a. 6, q. 52, art. 1 et 2, quæst. 56, a. 5, q. 62, art. 1, et 1. 2, q. 112, a. 1, ad 2, et in 3, dist. 14, q. unic., a. 4, et q. 6 de Potent., a. 4; Cajetan.

hic, et infra, quæst. 62, et 1. 2, q. 112, a. 1; Palud., in 4, dist. 1, q. 1, n. 32, 51 et sequentibus; Soto, q. 3, a. 5; Capreol., q. 1, a. 3, ad argumenta contra 4 conclusionem, et dist. 13, q. 1, ad argum. contra 1 concl., et in 3, d. 25, q. unica, a. 3, ad argumenta contra 1 concl.; Ferrar., 3 contra Gent., c. 56; Vega, l. 7 in Trident., c. 11; Dried., tract. 2 de Captivit. et redemp. gener. hum., c. 2, p. 3, a. 6, quamvis eodem c. 2, memb. 2, videatur docuisse contrarium; sed in hoc loco videtur de causa principali locutus, in alio vero de instrumentali. Probatur, quia Scriptura sacra simpliciter ita loquitur, dicens, Christum hominem habuisse potestatem et virtutem ad miracula facienda, et, simpliciter loquendo, sanasse infirmos, etc., ut patet ex testimoniis sect. præced. citatis. Et præterea, Luc. 6: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*. Et cap. 8: *Ego sensi virtutem de me exisse*; ubi ipsum miraculosum opus, *virtus* vocatur, et manasse dicitur a Christo homine. Joan. 1: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*. Sed hæc locutiones possunt proprie intelligi de physica effectioe, hoc enim non repugnare infra ostendemus, et est sensus magis consentaneus proprietati ipsorum verborum, et alias pertinet ad perfectionem et dignitatem humanitatis maxime accommodatam personali unioni. Deinde quadrat optime cum modo quo Christus efficiebat hæc miracula per actiones humanitatis, tangendo et imperando, Matth. 8: *Imperavit ventis*; et infra: *Volo, mundare*; et infra: *Teligit eos*, etc.; Joan. 11: *Lazare, veni foras*; et Isai. 51, 52, 53, et sæpe alibi, Christus dicitur *brachium Domini*, quia per eum mira opera efficit, ut Sancti exponunt. Denique locutiones Sanctorum, quæ ex Scriptura sacra sumptæ sunt, multum huic sensui favent. Concilium Ephes., can. 11, dicit carnem Christi propter unionem ad Verbum fuisse *vivificatricem*; et in VI Synodo, act. 11, dicit Sophronius, in citata epist. a Synodo recepta, Verbum per carnem suam effecisse opera, quæ erant divinitatis indicia. Dionys., ep. 4 ad Caium, præter actiones humanas et divinas, ponit in Christo alias quasi mistas, quas vocat *theandricas*, de quibus agens Damasc., lib. 3, cap. 19, duobus modis dicit aliquam operationem Christi vocari *theandricam*. Primo, quia non solum erat actio hominis, sed etiam Dei, et hoc modo omnis operatio Christi potest dici Deivirilis. Secundo, quia Verbum per humanitatem, tanquam per instrumentum, divi-